QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIX. NOVEMBRIS.

M. NICOLAO LANGLOYS Doctore Medico, Præſide.

884

An à thorace motus pulmonis?



ORTIS & vitæ diſcrimen hinc rectè petitur, quod illa exanguis ſit; hæc calore & humore pingui aëreouè conſtet. In his vigere debet ſpiritus inſitus: hic diù retineri non poteſt, niſi per influentem aduenientis aëris beneficio veluti renouetur. Quare ad vitam ducendam neceſſarius eſt motus earum partium corporis, quæ & vim habeant trahendi aëris, & ſuo motu putredinem auertendi; atquè etiam arcendi organorum propugnaculo, ne nimiâ copiâ calorem extinguat.



D præſtat in corpore vis motrix quâ motus omnes interni & externi cientur neceſſariò aut ſponte. Duplex eſt, animalis, & naturalis; animalis, quæ nonniſi præuiâ impulſione phantaſiæ fertur: naturalis quâ ex ſe mouentur partes abſque conſilio; ea triplex eſt pulſans, reſpirans, & tranſpirans; à quibus manant pulſus, reſpiratio, & tranſpiratio. Pulſus eſt motus reflexus cordis & arteriarum ἀδιαίρετος, ſyſtole, & diaſtole conſtans, ad tutamen caloris natiui, & ſpirituum vitalium perennitatem. Reſpiratio eſt actio naturalis pulmonum, thoracis, & diaphragmatis, inſpiratione aëris, & expiratione conſtans, ad æſtum cordis temperandum, & ſpiritus vitales recreandos. Διαπνοὴ eſt ſpiratio aëris facta per occulta cutis ſpiracula, nec-non inſenſilis per eadem foramina fuliginum excluſio, intentionis & remiſſionis arteriarum, hûc illûc diſſeminatarum ope. Ad quas actiones obeundas idonea organa ſunt cor, pulmo, thorax, diaphragma, arteriæ: ad quæ permeat aër per nares, os, & τραχεῖαν ἀρτηρίαν.



HORAX ſiue medius venter, in quo motus ille perficitur, vt medium corporis obtinet, ita reliquis partibus nobilitate præſtat; formâ eſt propè orbiculari, atquè partium vicinarum præſidio vndiquè cinctus; quâ agnatus eſt capiti, clauiculis; quâ deſinit, diaphragmate; quaquauersùm, ſterno, dorſo, coſtis munitus, compages tota oſſea eſt, quam muſculorum intercoſtalium adiuuat caro. Hìc vitalis facultatis ſedes eſt, quæ frigidæ auræ per os admiſſæ ſpiritu viget. Ad hoc apta eſt, quæ oris faucibus cohæret patens fiſtula ſiue τραχεῖα ἀρτηρία; caput eius larynx, vocis organum; reliqua ſubſtantia, bronchus triplici membranâ in plures circulos ductâ contextus, qui ad pulmonem extenditur; quò poſtquam aër peruenit, tùm intrà apertos meatus pulmonis recipitur; inde alternâ pulmonum depreſſione fuligo per eandem canaliculam remeat. Pulmones vinciunt mediaſtinum ſterno connexum, vertebræ & πλευρᾷ per fibroſos nexus, nec non cor venæ arterioſæ, & arteriæ venoſæ beneficio; in pulmones ne quid humoris aut eſcarum affatim incidat, quod reſpirationi noceret, natura rectè meatui illi ἐπιγλωττίδα impoſuit, cuius cartilago mobilis inter edendum ac bibendum conniuet viciſſim & reſurgit. Cor pulmones medios ſecat, ac velut in alas ſpargit: in eo principium vitæ & caloris; medium occupat pectoris, adeòque hominis, niſi quâ paululùm ad læuam inclinat, muſculoſum, latâ baſi, apice mucronato; continuo in motu, nec vnquam ceſſans. cohæret mediaſtino & diaphragmati medio pericardio; duo in eo quaſi ventriculi, ſepto multis foraminibus peruio diſtincti, quo ſanguis à dextrâ in læuam feratur, nec remeet. ex cordis temperamento, quod calidum & humidum potiùs eſſe debet quàm ſiccum, pendet vitæ longitudo & breuitas. Thoracem ab infimo ventre diſtinguit diaphragma, caro muſculoſa, venis & arterijs diſcurrentibus referta, ad reſpirationem comparata. Arteria eſt conceptaculum ſpiritus vitalis mixti cum ſanguine, in quo tamen plus eſt ſpiritus, quàm ſanguinis, habitum & modum ſanitatis demonſtrans. Porrò in corde, thorace, diaphragmate, & arteriis, ineſt vis motrix per quam illa mouentur; quidni etiam in pulmone?



AM cum præcipuum reſpirationis organum pulmo ſit, quâ ratione fieri poteſt, vt vi illa motrice, & motu ipſo, & reſpirandi facultate careat? Etenim omnium facultatum actiones nullibi magis quàm in organo conſpicere licet; oculi viſionis inſtrumenta ſunt, in iis videndi facultas; ita audiendi in auribus; & in reliquis ſenſibus idem experimento conſtat. cur in pulmone aliud ſtatuas? cur hìc diſcreta ab organo potentia? cum in omnibus ſit communis. Deinde reſpiratio fit attractione aëris, & expulſione fuliginis, attractio autem illa & expulſio naturæ actiones ſunt, quæ à partibus ipſis peculiariter perfici debent, à quibus ergo? an à thorace, aut diaphragmate? ſed ad neutrum eorum aër penetrat. Ergo à pulmone tantùm illæ manare poſſunt, tùm ad ſui refrigerium, tùm ad temperiem cordis. Quod & ipſa pulmonis ſubſtantia facilè demonſtrat; nam motui maximè conueniunt leuitas & raritas; ita ignis, aër, flammea, ætherea, cuncta à prædominante elemento mouentur faciliùs, celeriùs, quàm terrea aut aquea, quorum partes ſpiſſæ in ſe relabuntur; at pulmonis ſubſtantia rara eſt, inanis, ſpongioſa, facilè mobilis, aëriæ naturæ affinis, quæ facultati ſibi inſitæ, & talem motum poſtulanti in promptu obſequitur. Præſertim cum tam nota ſit cordis atquè pulmonis ex vaſorum tranſmiſſione connexio, nam ſi tanta vis eſt toto corpore neruorum, vt cum ſint ſenſu præditi, cunctis etiam partibus ſenſum impertiant, & motum ſpontaneum iis quæ naturâ aptæ ſunt; cur non etiam cor in pulmone vim illam motricem per vaſa & ſpiritū excitabit? cū & cordi motus ille pulmonis ſit neceſſarius, & pulmo ſubiectum aptum. Præterea inter omnes conſtat arterias quæ à corde manant non inſitâ vi moueri, ſed per irradiationem, & illuſtrationem cordis, à quo originem cœperunt; nam ſi vinciatur arteria tranſmiſſione irradiationis impeditâ, ſtatim & ceſſet motus neceſſe eſt. quidni & cor in pulmone vim iſtam eodem influxu ſuſcitabit? itaut quemadmodum arteria vim quam à ſe non habet ſemel tamen partā retinet, ita & pulmo à corde quaſi deriuatam tueatur. Sed iſtud ex qualitate motus certiùs deprehendi poteſt, eadem quippe reſpirationis ratio eſt, quæ pulſus; vterquè continuus, & partibus diuerſis conſtans, ſyſtole ac diaſtole; inſpiratione & expiratione; intermediâ quiete; vterquè reflexus atquè eodem temporis ſpatio circunſcriptus; vterquè ad viuendum neceſſarius; index vterquè & nuncius mortis, ſimul atquè eodem fato deſinunt, nempe vitali potentiâ nobis per vtrumque motum vitam præſtante. Atquè vt diſceſſus thoracis ac diaphragmatis à corde, ita acceſſus pulmonum ad cor, pari ratione perſuadent vitalem & motiuam facultatem tàm poſſe pulmonibus imprimi, quàm thoraci & diaphragmati. Denique violentum in naturâ nullum eſt, nec ſi contingat ſtare diù poteſt: eſſet autem pulmonis ille motus violentus, ſi à thorace impelleretur, atque adeò corpori perniciem creare poſſet.



VARE veroſimilius eſt vtrumque tàm thoracem, quàm pulmonem, per ſe moueri proprio ac naturali motu; nec tamen alterum ſine altero, mutuo quodam & naturali concurſu. cuius conuenientiæ motus innumera exempla ſunt, tàm in naturalibus, quàm artefactis. nam in ſphæra cœleſti cum plures circuli ſunt intrà primum & vltimum mobile concluſi, qui omnes ſimul proprio ac ſingulari motu, ac quouis tempore voluuntur, nullo tamen alterum impellente; ſic à corde tanquam à fonte, aut primo mobili manat motio communis animantium, vitalis reſpiratio appellata, & à pulmone perficitur, qui & motus ſui principium trahit à corde.

Ergò non à thorace motus pulmonis.

Proponebat Lutetiæ GABRIEL DE BRIOVDE Aruernus. A. R. S. H. M. DC. XL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. HVGO CHASLES.
M. NICOLAVS HELIOT.
M. IOANNES VACHEROT.

M. CLAVDIVS SEGVYN Reginæ Chriſtianiſſimæ Medicus.
M. SIMON LE LETTIER.
M. SEBASTIANVS RAINSSANT.

M. LAZARVS PENA.
M. IACOBVS COVSINOT, M. & Profeſſor Regius & Principis Delphinati Medicus Primarius.
M. PETRVS BEAVRAINS.

CVM DOTE TRIVMPHI

A MADAMOISELLE



ERENISSIME PRINCESSE,

Vostre portraict me promet & donne vn certain presage de bon-heur & de Triomphe selon l'emphase de ces mots ; qui sont l'inscription de ce Frontispice ; employée iadis à la loüange d'vne des plus fameuses Dames de l'Antiquité auec autant de vanité pour elle, que de verité pour VOSTRE ALTESSE, dont les rares vertus sont tellement connües, qu'elles nous obligent tous d'en admirer la grandeur, cette naissance si Illustre vous ayant rendüe l'ornement de ce siecle, & de ce Royaume, comme la premiere Damoiselle du monde. Les loix de ma condition & la qualité glorieuse de vostre domestique, l'exemple d'vn Pere & d'vn Oncle qui ont vielly au seruice des vostres, me fortifient assez, & m'inuitent à cette entreprise que ie fais autant par inclination que par deuoir. Ces lignes seront & seruiront d'vn monument eternel de mon zele & de ma seruitude, a la gloire & conseruation de V. A. à laquelle ie me consacre par ce vœu public, & protestation de ne vouloir viure que pour l'employ auquel ie seray destiné par vos commandements ; ce seront les effects & non les paroles qui vous le persuaderont ; le triomphe valant incomparablement mieux que le combat, & la santé que la Medecine, qui se vient soubmettre entierement à V. A. Non par l'aduen de son Secretaire seul, mais de l'aduis de tous les Docteurs de cette Faculté la plus celebre de l'vniuers. L'adoption que i'en pourchasse n'est que pour me rendre plus capable de seruir VOSTRE ALTESSE & meriter par cette association ce que vostre bonté Hereditaire requiert de celuy qui est de V. A.

Le tres-humble tres-obeyssant & tres obligé seruiteur DE BRIOVDE.